C

VIRES. EX DIOSCORIDE.

Vrinam cit, & menſtrua ducit. Stomachi & coli inflationibus auxiliatur, & torminibus. Laterum quoque, renum & ueſicæ doloribus in potu ſumptum ſuccurrit. Miſcetur antidotis urinam cientibus.

EX GALENO.

Petroſelini ſemen maximè uſui eſt, quum tota etiam herba unà cum radice ſimilem, ſed imbecilliorẽ, facultatem ſortiatur. Incidendi etiam uim habet: hinc menſes & urinas largiter prouocat. Flatus quoque extinguit.

APPENDIX.

Sunt qui hanc herbam quam pro Petroſelino damus, Siſona eſſe putent: quorũ ſententiæ cur non magnopere repugnẽ, facit in primis Dioſcorides, qui Siſona perinde atq; Petroſelinũ ſuis notis haud deſcripſit. Dein quod uiribus nõ diſcrepent, atqueadeo in uſu huius aut illius nullum ſit periculũ. Nos tamen noſtram ſententiam propter adductas paulò antè rationes deſerere, niſi euidentibus conuicti argumentis, non poſſumus.

DE ROSA. CAP. CCLIIII.

NOMINA.

Rhodon cur dictum.

DOΔON græcè, Roſa latinè, officinis eodem ſeruato nomine appellatur. Germanicè Roſen. Rhodon autem Græcis, Plutarcho autore, nominatur, quod largum odoris effluuium emittat.

GENERA.

Theophraſtus libro ſexto, cap. vi. de plantarum hiſtoria, genera roſarum multa eſſe tradit, quæ foliorũ multitudine, paucitate, aſperitate, leuitate, colore & odore differunt. Plinius etiam lib. xxi. capite quarto, ex loci diuerſitate multa roſarum genera colligit. Nos ſimpliciter duo duntaxat illarum genera faciemus, ſylueſtres ſcilicet & domeſticas. Sylueſtres, quæ etiã Caninæ roſę uocantur, aſperiores tum uirgis, tum foliis ſunt, ac odore, colore, magnitudine à domeſticis ſuperantur. Germani Heydroſen/& Wildroſen uocant. In utroque uerò genere duplices exiſtunt, puniceæ nimirum & candidæ. Nos utrunque genus una pictura complexi ſumus.

FORMA.

Vulgò omnibus nota eſt Roſa. Virgas ſiquidem fuſcis maculis tinctas, & aculeis plenas emittit: folia inciſuris diuiſa, nigricantia & aſpera. Germinat primum incluſa granoſo cortice, quo mox intumeſcente, & in uirides alabaſtros faſtigiato, paulatim rubeſcens dehiſcit, ac ſeſe pandit, in calycis medio ſui ſtantis complexa luteos apices ſtaminaq; capillamentis inſidentia, quæ propriè flores dicuntur. Sylueſtris ſpongiolas etiam producit, quas pleræq; officinæ Germaniæ noſtræ, non ſine deteſtando errore pro Bedegar uſurpant: fructum quoq; parit rotundũ, initio uiridem, dein puniceũ.

LOCVS.

Domeſtica paſsim in hortis prouenit. Sylueſtris etiam nuſquam non in campeſtribus & dumetis naſcitur.

TEMPVS.

Roſa ut nouiſsima inter uernos flores erumpit, ita etiã ſtatim deficit. Decerpenda itaq; erit Iunio menſe ubi primum erupit, ne mox nuſquam compareat.

TEMPERAMENTVM.

Roſarum uis ex aquea calida ſubſtantia duabus aliis qualitatibus, adſtringenti uidelicet & amaræ miſta, compoſita eſt. Flos earũ magis etiam ipſis Roſis adſtringit, ac proinde ſanè exiccatorius eſt.

VIRES.